

Werk

Titel: Petri Petiti Philosophi & Doctoris Medici Parisiensis De Sibylla

Untertitel: Libri tres

Autor: Petitus, Petrus

Verlag: Lankisch; Guntherus

Ort: Lipsiae; Lipsiae

Jahr: 1686

Kollektion: VD17-Mainstream

Gattung: Altertumskunde

Digitalisiert: Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen

Werk Id: PPN737373385

PURL: <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN737373385>

OPAC: <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=737373385>

LOG Id: LOG_0010

LOG Titel: Caput XIV. - Caput XVII.

LOG Typ: chapter

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

CAPVT XIV.

*An aliqua vis & proprietas terræ
Sibyllam moueret.*

ATque hæc Sibyllinæ indolis a temperamento & astris formatae consideratio nos ad alteram ad finem non inuitos trahit; data inde occasione quærendi, num & aliis opportunitatibus, quibus Sibyllam ad vaticinandum comparatam fuisse diximus, quædam accesserit terreni halitus proprietas, vt in Pythia existimatum est. In hac namque non minimum valuisse expirationem Delphici antri, præter auctorem libri de Mundo, qui vulgo Aristoteli tribuitur, Plinius lib. 2. cap. 93. & Plutarchus in libro de defectu oraculorum censuerunt. *Alibi (inquit ille) fatidici specus, quorum exhalatione temulenti futura præcinnunt, vt Delphis nobilissimo oraculo.* Sed & Lucanus citato loco:

Vt vidit Pæan vastos telluris hiatus

Diuinam spirare fidem, ventosque loquaces

Exhalare solum, sacris se condidit antris,

Incubuitque adyto, vates ibi factus Apollo.

Nota & fabula de oraculi illius inuentione ex Diodoro & Plutarcho. nempe quendam pastorem, cui nomen Coretas, in terræ hiatus, eo loco vbi post oraculum fuit apertum, fortuito delapsus, subito furore insolitas emisisse voces, vicinis accurrentibus, primum pro nihilo; non multo

multo post in admiratione habitas, cum fatidicas fuisse rerum euentu compertum fuisset. Ibi igitur templum Apollini placuisse construi, atque etiam urbem, cum eo multorum oraculi causa concursus fieret.

Num igitur & halitum eiusmodi subterraneum valuisse in Sibylla putandum est, & propterea sedem elegisse in antris, quo melius tali spiritu frueretur? Sane mirandas terræ variis in locis inesse vires, quas non modo eorum quæ ex se generando profert, proprietatibus, sed & hominum naturis & temporariis commotionibus ostendat, insigni exemplo confirmat Leonicus Thomæus in dialogo qui Trophonius siue de Diuinatione inscriptus est. *An non meministis, inquit, miraculi illius, quod superioribus annis in agro Veronensi, non longe a Benaci lacu Alpes versus, vulgo proditum est contigisse? Templum scilicet quoddam diuæ Mariæ eo in tractu dicatum esse, in quo statis diebus quidam terræ excitabatur halitus, qui ædem sacram ingressos homines excitabat adeo & commouebat, vt singulis primum artibus contremiscerent, mox etiam (si diutius permassisent) non sine incondita quadam manuum & ceruicis iactatione incessanter saltarent, neque vlllo consistere possent modo. Quod tamen non omnibus accidere dictum est, sed plerisque, quos (vt opinor) exhalans ille spiritus pro habitu quodam corporisque temperamento, solummodo afficere & concitare poterat. Qui postmodum terræ halitus deficienti-*

bus, ut par est, causis, illo quo exire cœperat anno euauisse dicitur; licet idipsum, ut moris est, vulgus imperitorum superstitiosius etiam nunc interpretari non desinat, & supernaturalibus assignare id causis contendat.

Quæ eo libentius adscriptæ, ut desinant ofores literarum multa eiusmodi quæ in veterum libris leguntur, illumque specus Delphici halitum, fabulis annumerare. Quod ad Sibyllam autem attinet, hanc in antris fere habitasse constat. Cur autem in antris potius ferarum ritu, quam sub tectis humano more degere mallet, aliquam profecto causam fuisse putandum est. An igitur ut terræ halitum mouendæ phantasiæ aptum hauriret? Si Cardanum audimus, nihil potentius: quemadmodum declarat in tertio eorum librorum quos de Somniis composuit cap. 15. Post multarum enim rerum enumerationem, quibus animam censet redigi posse in eum splendorem, quo fiat capax imaginum quibus futura ipsi imprimantur, cæteris ut parum efficacibus reiectis, sic speluncarum ad id opportunitatem commendans subiungit: *Sed nihil certius specubus, in quibus ex halitu terræ longe magis diuersæ species vigilantibus obuersantur, quam somniantibus sine illis. Atque id Aristoteles retulit in libro de oraculis, Plutarchusque.* Quod Aristotelem pro hac opinione & Plutarchum testes citat, de Plutarcho fateor: huic enim sententiæ propalam in libro supra memorato de defectu oraculorum suffra-

fuffragatur. De Aristotele autem & libro eius de Oraculis fugit eum ratio: cuius libri eius nomine neque apud Laertium in catalogo operum Aristotelis, neque apud alium auctorem fieri mentionem memini.

Sed missa hac critice, quæ nihil ad rem pertinet, quod de hac terræ in antris facultate dicitur, an sit verum, perpendere satius est. Est autem difficile hic aliquid constituere quod sit liquidum; propterea quod non vno modo cavernæ & specus subterranei animam ad profundas meditationes adiuuare possunt. Nam & solitudine & silentio tenebrisque ipsis animas non parum attolli atque ali videtur. Quo pacto & silvæ meditantibus aptæ censentur: Plinio etiam iunior attestante in epistolis lib. I. *Jam undique silvæ & solitudo, ipsumque illud silentium magna cogitationis incitamenta sunt.* Idemque alibi *mire animum ali tenebris* dicit. Neque immerito, quando his maxima cogitationis impedimenta remouentur, spectacula externorum visibilium, & quicquid sonis & vocibus importunis obstrepit. Addit Marsilius Ficinus admirationem, quam locorum subterraneorum secessu excitari censet lib. 13. Theologiæ Platonis; quo loco septem vacationis genera distinguit, & *vacationis* nomine intelligit animi a sensibus & corporeis rebus abstractionem. In his igitur & admirationem antrorum horrore excitatam ponit, hacque ratione adductam Sibyllam in antra diuertisse

tisse ad captandum numinis afflatum: Sibylle (inquit) & Pythiæ sacerdotes, cum secederent in Jovis aut Apollinis antrum, ubi numen ipsum adesse credebant, tanto admirationis venerationisq; stupore de majestate numinis cogitabant, ut sensus, phantasia, ratioque actus suos illico prætermitterent. Tunc mens soli exposita numini, siue Deus ille fuerit, siue Damon, supernos præsentiebat motus: eos præsertim qui ad ea negotia pertinebant, de quibus nuper deliberauerant. In id album tali ex causa ariolantium Corybantes adscribit, & Cornelium sacerdotem, de quo Gellius lib. 15. Noct. Attic. cap. 18. Horatius autem lib. 3. ode 25. & Thraciæ mulieres in Bacchi orgiis nimio stupore & admiratione solitudinis in furorem conuerti & bacchari dicit; quo eodem affectu se quoque ad laudes Cæsaris cantandas incitari autumat,

non secus in iugis

Exsomnia stupet Eubhyas

*Hebrum prospiciens, & niue candidam
Thracen, ac pede barbaro*

Lustrat am Rhodopen: ut mihi deuio

Ripas & vacuum nemus

Mirari libet.

Quod autem vehemens admiratio ecstasim, hoc est, mentis excessum, vel motionem, vel ut Politianus Miscellaneorum cap. 90. vertit, paurem inducat, testatur Fracastorius lib. de sympathia & antipathia rerum cap. 20: *Si vero* (inquit) *quod offertur uti ignotum sub ratione offeratur cu-*

ius-

iusdam magnitudinis consueta longe excedentis, sed rei, tamen quam per opinionem veneramus & amamus, tunc ecstasis vocata fit, hoc est, mentis phantasiaeque excessus quidam ab admiratione, per quam ab omni alia re distracti immotique reddimur & insensitivi: quod maxime iis accidit, qui aut vere sancti sunt, aut sibi ex melancholicis videntur: his enim & angelorum choros & Deos videre apparet. Cum ergo admirationem ad mentis abstractionem vaticibus necessariam facere ex his liqueat, morosi animi sit, & supra modum contentiosi, in re tam probabili litigare cum viris doctis, qui eo etiam affectu Sibyllam parationem ad diuinandum accessisse dicunt. Non tamen eius admirationis causam per se antrum aut vim terræ crediderim, sed ex accidenti, propter solitudinem, silentium, obscuritatem, quibus animum ad meditandum non mediocriter iuuari in confesso est.

Quod autem ad terræ expirationem attinet, neque hæc omnino opinio repudianda videtur, quæ nonnullam speluncis vim inesse vaticinio opportunam statuit; ea ratione qua succus melancholicus, qui omnium corporis humorum maxime est terreus, siccus, densus, calore concepto homines reddit amentes & ἐκστασις, quam proximam esse ad diuinandum præparationem ex Aristotele ostendimus. Quod si illi humori inest ex terræ, quæ in ipso dominatur, proprietate; quanto magis terræ ipsi inesse existi-

stimandum est. Hac consideratione inductus Iouianus Pontanus in præfatione libri 9. de rebus cælestibus, bilem atram, quam egregium ingenii fomitem censet, non vino, vt Aristoteles, sed terræ comparat. Quem locum, quia egregie superiora confirmat, ipsius verbis adscribere placet: *Recte igitur putauerunt (antiqui) rerum semina propter elementorum commixtiones in terra esse abstrusa, venisque illius insinuata, eaque ab humore destillatim irrorata, atque a calore sensim ac quam tenerrime fota, animam postmodum calefactione ab ipsa sibi arcesserent, indeque hæc omnia quæ videntur, quæ sentiuntur, quæ post mente animoque agitantur, proficisci. Rerum igitur generationi, illorum etiam sententia, aptissima est terra; quippe quæ cæterorum etiam elementorum receptaculum sit, quoddamque quasi penu. Ex humoribus autem qui in nostro continentur corpore, immo qui corpus nostrum constituunt, nigrum fel, quæque rectius atra bilis dicitur, terræ est quam simillima. Atque vt e terra omnia per calorem prodeunt, ipsaque seminarii cuiusdam vicem gerit, sic nigra e bile, vbi concaluit, tanquam seminario e quodam, pullulant tum simulacrorum tum cogitationum germina, quæ deinde in hominum ingeniis in agro quasi quodam fruges ac fructus quam uberrimos proferunt: atque vt terra ipsa varietate quidem vititur, diuersas tum herbas, tum arbusculas, resque alias non vno gignens modo, seminum diuersitatem ac succi, qui solo inest,*

sect-

Secuta, sic varia etiam hominum proueniunt ingenia, aliis atque aliis artibus exercendis pro bilis ipsius temperamento ac mixtura. Et mox de multiformi atræ bilis natura: Quid quod ve quandam esse infinitatem volunt seminum, quæ terræ insunt, sic infinita quoque sunt semina atræ bili naturaliter indita; quæ tametsi ipsa finita sunt, commixtione tamen ac temperatura efficiuntur infinita.

Hæc eo loco Pontanus de atræ bilis facultate, ad omnem cogitationum varietatem, & ingenii præstantiam accommodata; quam facultatem illi inesse censet ex cognatione terræ, cuius plurimum aliorum proportione elementorum in constitutione sua habet. Ex quo aliquis non improbabiler inferat, halitus illos terrestres, qui e speluncis copiosius quam ex aliis locis erumpunt, nonnihil latentis energiæ animo insinuarere ad expediendas altiorum contemplationum ambages, ac noctem etiam discutiendam rerum futurarum. Certe animum huiusmodi expirationibus, naturam terræ redolentibus, supra modum corroborari, constant amque ac nervos nancisci ad longam & profundam meditationem, verisimile est. Qua fortasse consideratione impulsus Democritus, vt ferunt, mortuorum monumentis & hypogæis frequenter se abscondebat lucubrandi causa. Et Thucydides, nisi me fallit memoria, item in Thracia exulans ad Σκαπτήν ὕλην, *Scaptensulam*, historiam suam bel-

belli Peloponnesiaci composuit. Testatur & de Euripide Gellius lib. 15. cap. 20. his verbis: *Philochorus refert, in insula Salamine speluncam esse retram & horridam, quam nos vidimus, in qua Euripides tragœdias scripsit aut.* Quibus exemplis complura alia adiungi possunt magnorum virorum, atque etiam nostrorum anachoretarum, qui rerum diuinarum contemplatione excelluerunt. Sed de secessu in antris ad diuinationem hactenus; reliqua Sibyllæ exequamur.

CAPVT XV.

Sibyllæ castitas; an & quomodo virginitas ad diuinandum conferat.

INter alias Sibyllæ dotes hac quoque commendatam inuenimus, quod cum diutissime vixerit, illibato corpore virgo permanferit; quod cum alii tum Aristoteles in eo commentario quem *Ἐπι Γενεασιῶν ἀρεσμάτων* de admirandis auditionibus inscripsit, confirmat: ἢ πολυχρονιώτατην γενομένην παρθέρον διαμένειν φασιν. Neque omisit Hieronymus in encomio virginitatis, quam aduersus Iovinianum defendit, lib. 1. *Quid referam* (inquit) *Sibyllas*, (ita in plurali numero memorat, quia vulgi opinionem sequitur) *Erythræam atque Cumanam, & octo reliquas: nam Varro decem fuisse autumat, quarum insigne virgi-*

virginitas est, & virginitatis premium diuinationo. Quin & propriam virginitatis diuinationem sequentibus verbis sciscit: *Quod si Æolici genere sermonis Sibylla θεῶν Ἐσθλῆ appellatur, recte consilium Dei sola scribitur nosse virginitas.* Sane propius ad Deos accedentibus & sacra tractantibus bene conuenire castitatem animi & corporis, ipsorum etiam moribus Ethnicorum patet, quorum in legibus primum hæc locum obtinet: *Ad Diuos caste adeunto;* vt videre est apud Cicero- nem libro de Legibus secundo. Vnde Tibullus lib. 2. elegia 1.

Vos quoque abesse procul iubeo, discedite ab aris

Quæ tulit hesternæ gaudia nocte Venus.

Castæ placent superis: pura cum veste venite,

Et manibus puris sumite fontis aquam.

Hinc casti sacerdotes apud Maronem in sexto Æneidos,

Quique sacerdotes casti, dum vita manebat.

Vsq̄ adeo vt Hierophantæ, ne vnquam peccarent, sibi libidinem cicuta extinguerent. Tametsi in voto continentie gradus Tertullianus notat in libro de Monogamia: *Fortuna muliebri (inquit) coronam non imponit nisi vniuiræ, sicut nec matri Matuæ. Pontifex Maximus & Flaminica nubunt semel. Cereris sacerdotes, viuentibus etiam viris & consentientibus, amica separatione viduantur. Sunt & quæ de tota continentia iudicent nos virgines Vestæ, & Junonis Achaicæ, & Dianæ Scythicæ, & Apollinis Pythiæ.* Etiam bouis illius Ægy-

ptii antistites de continentia infirmitatem Christianorum iudicabunt. Cassandram & Chryseidem vates Apollinis, addit Hieronymus dicto loco.

De Pythiis vatibus, quod virgines esse oporteret, quæ admouerentur oraculo, ex iis quæ supra ex Plutarcho attulimus, colligi potest: ad hoc scilicet munus expetitas in primis agricolarum filias, illibatæ virginitatis prærogatiua, quam rusticis puellis magis constare quam vrbanis & diuitibus arbitrabantur. Cumque initio esset mos puellas eligi; post tutius visum est & populorum interdicto sancitum, ne iuniores amplius eo officio fungerentur, postquam ex iis vnâ ab Echecrate corruptam fuisse compertum est. Cur autem castas & virgines esse oporteret quæ tripodî admouerentur, ratio in promptu est. Quam enim potius societate & alloquio dignetur Deus, quam castam, cuius anima minus corpori immersa, minus sensui conglutinata? Qualis profecto earum est quæ sancte virgines sunt, non modo corpore, sed & animo, neque coguntur seruire voluptati; quæ, vt Plato ait, mentem corpori velut clauo affigit. Quamobrem Apostolus iis quæ Deo religiosius vacare cupiunt, virginitatem consulit in priorî ad Corinthios: *Et mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt: vt sit sancta & corpore & spiritu; quæ autem nupta est cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Hinc & Christi spadones, vt Tertullianus vocat, qui se diuinorum amore castrant. Pulchre igitur Seruius ad
hos

hos Maronis versus lib. 2. Æneidos :

Dixerat : (Venus) & spissis noctis se condidit umbris.

*Apparent diræ facies, inimicaque Troie
Numina magna Deum.*

Est etiam (inquit) theologica ratio: quia ignorantes usum Venerorum videre dicuntur & numina; unde nunc merito post Veneris abscessum numina vidisse dicitur Æneas. Elegans, ita me Deus, sententia & vera; tametsi de expositione (vt obiter dicam) ambigi potest, an huic Maronis loco congruat, qui paulo ante Venerem inducit Ænoæ oculos purgantem ac caligine liberantem:

*Aspice, (namq, omnem, quæ nunc obducta tuenti
Mortales hebetat visus tibi, & humida circum
Caligat, nubem eripiam &c.*

Hic ubi disiectas moles &c.

tum Deos Troianis infestos singulatim nominibus demonstrat;

*Neptunus muros, magnoque emota tridenti
Fundamenta quatit &c.*

Si enim Venus nubem demere potest oculis mortalium, quæ iis obstat quo minus numina videre possint; quomodo non nisi eius discessu eadem numina discerni possunt, hoc est, venerarum rerum abstinentia? Hæc profecto inter se non quadrant: sequeretur enim, eandem Venerem visum purgare quo numina cernuntur, simulque hebetare & confundere, si nisi ea absente cerni non possint. Multo igitur cautior Homerus, a

quo hanc fictionem sumpsit Maro : non enim Veneri sed Mineruæ hanc vim assignat remouendi caliginem prætentam visibus mortalium, prohibentemque ne Deos perspiciant : (ἐπιπην

ἀχλὺν δ' αὖ τῆ ἀπ' ὀφθαλμῶν ἔλον ἢ πρὶν
ὄφρ' εὖ γνώσκῃς ἢ μὲν θεὸν, ἢ δὲ κ' ἄνδρα.

Locus est Iliad. ε. vbi Minerua hæc Diomededi dicens inducitur. Patet igitur ex his id quod dixi, Seruii hanc sententiam esse rectam, si in se spectetur; si ad locum Maronis conferatur, neque illi, neque rationi esse congruentem. Sed ad rem.

Hoc etiam vitæ genere, quo nullum sanctius existimatur, posse aliquem sic conciliari Deo, vt vates efficiatur, & futura in diuino lumine prospiciat, præter Hieronymum testatur Marsilius Ficinus dicto loco. Vbi ordine percurrens modos vacationis, siue alienationis, furorisque diuini, quo animus ad vaticinandum excitatur, in his castitatem mentis Deo deuotæ ponit: *Talis quippe mens* (inquit) *non ad tempus, vt alia, sed ferme semper pacatum est Dei templum: cuius ostium, vt Joannes inquit Theologus, Deus pulsat primum; quod statim apertum ingreditur; quod inhabitat sedulo; in quo pascit hominem ambrosia.* Verum hæc, ne quid dissimulem, licet vulgo admodum plausibilia sint; non tamen ita perspicua videntur, vt non scrupulos eosque non exiles atque dubitationes moueant accuratius contemplantibus. Primum enim occurrit hæc difficul-

ficultas, quod ex his sequatur, Sibyllam, quam Apollinis sacerdotem fuisse constat, adeoque dæmonum cultui mancipatam, merito castitatis illi fuisse conciliatam: quod absurdum videtur. Quid enim impuris illis geniis cum castitate & continentia? Si quis autem Dei ipsius afflatu vaticinatam dicat, in grauiiores adhuc difficultates incurret; de quibus suo loco agemus.

Præterea quod Hieronymus virginitatis præmium diuinationem, hacque ratione Sibyllis diuinitus fuisse tributam censet, immo hanc virginitatis propriam facit, manifestis rebus redargui potest: nempe exemplis coniugatorum vtriusque sexus, quos sine virginitate munus illud consecutos legimus. Omnes quidem Patriarchas in eo numero fuisse, ex Scripturis constat. Inter quos & Jacobus, tam numerosæ familiæ pater, illustre illud vaticinium, de tempore quo Christus venturus esset, moriens protulisse legitur. Sed & Dauid complurium simul coniux feminarum, quam multa quamque præclara de Domino in psalmis vaticinatur? Sed neque Salomoni eius filio inter tot vxores & concubinas prophetia defuit; vt qui eius supersunt libri, diuinumque in primis illud Canticum canticorum, declarant: quorum sensus reconditos quotus quisque animo consequi potest? Et Jobum, cuius extat liber, maritum simul & vatem fuisse constat; de quo Hieronymus ipse sic in epistola ad Paulinum scribit: *Job exemplar patientiæ quæ non mysteria*

*suo sermone complectitur? & paulo post: Singula in eo verbo plena sunt sensibus; & (vt de ceteris fileam) resurrectionem corporum sic prophetat, vt nullus de ea vel manifestius vel cautius scripserit. Nec vero defunt exempla in altero sexu ex iisdem libris sacris. In his clarissima, Debora vxor Lapidothi *Judic. 4.* Holda, & vxor Sellum *4. Regnorum* memorantur; quas idem Hieronymus lib. 1. epist. 31, tacentibus viris responsa edidisse testatur. Et quid plura attinet referre? cum primis Euangelii temporibus non temere quisquam fieret Christianus, qui non illico post baptismum Spiritus charismata acciperet; in quibus fuit propheta. Ita multi simul Christiani & vates effiebantur. Quomodo igitur diuinationo *virginitatis premium*, aut *propria dos* dici potest, quæ tot viris & feminis matrimonio coniunctis contigerit?*

Respondeo, non ita dici Hieronymo virginitatis premium diuinationem, quod hanc solis dari virginibus putaret; sed quia ceteris paribus magis conuenit virgines vaticinio illustrari quam alios in coniugio viuentes. Quo pacto diximus supra, & ostendimus, rationi magis & ordini rerum esse consentaneum, magno ingenio præditos vaticinari, quam idiotas & nullum eius laudis sensum habentes. Quod non impedit, quin Deus, qui naturæ ordinem, vt principii maiestate, sic operandi modo transcendit, cui hominum vult eam perfectionem largiatur. Quam cum minus dignis, vt iis videtur qui solum natura

turæ ordinem spectant, tribuit; altiorem huius subesse in eius providentia rationem putandum est. verbi gratia; cur Dauidem ab agresti & pastorali vita ad solium euectum in vatum numero esse vellet: neque enim fieri poterat, vt qui in prophetarum patria natus esset, primus ex Judæ posteris regiam dignitatem adeptus esset, armis vniuersam Judæam pacasset, cuius e stirpe Christus rex originem ducturus esset, non de ipso vaticinaretur.

Ita igitur dictum Hieronymi intelligendum est, hocque sensu diuinitio *insigne* dicitur & *virginitatis præmium*; ob eam conuenientiam, qua continentiam professi Deo coniunctiores censentur. Sit sane virginitatis præmium diuinitio; modo non ita proprium, vt non aliis ob alias rationes tribui possit. Sic Philippo quatuor fuisse filiarum virgines prophetantes traduntur in Actis Apostolorum. De quibus & Eusebius prodit in libris Ecclesiasticæ historiæ, qui has Hierapoli Asiæ vixisse, ac cum parente sepultas fuisse dicit. His si præmium virginitatis contigisse propheta dicatur, hoc quidem sensu, non pugnabo: cum id Epiphanius testetur lib. 2. contra Hæreses cap. 78. Tomo II. in disputatione aduersus Antidico-Marianitas: vbi & Deiparam eadem ratione supra omnes prophetas vaticinio excelluisse censet; & prophetidem nominatam ab Isaia hoc oraculo: *accessi ad prophetissam &c.*

CAPVT XVI.

Accuratio virginitatis Sibyllæ & aliarum apud Ethnicos sacrarum feminarum consideratio. Dæmonum fraudes aperiuntur.

His hunc in modum explanatis de vatum antiquorum vtriusque sexus continentia, tempus esset ad alias Sibyllæ dotes resque transire, nisi maneret scrupulus ille supra motus de Diis quibus miseri illi mortales seruibant, hoc est, impuris geniis: quod absurdum videtur, omnium libidinum, omnium dedecorum hominibus auctores vel adiutores postulare a quoquam vt continentiam colat. Verum hunc scrupulum facile remouemus eo quod supra positum est fundamento, eorum quæ improbus dæmon magna ambitione ostentat mortalibus, ad eorum mentes prauæ superstitionis cassibus irretiendas. Dicitum est enim, inter alias eius fraudes hanc esse præcipuam, vt præpostera eorum quæ Deus agit imitatione incautis obrepat. Quam eandem in commendanda nonnullis suorum cultorum corporis castitate atque ab iis exigenda, inanem virtutis speciem obiicit. Nam quia scit, Deum amare in primis sanctitatem in hominibus, eosque fami-

familiarius amplecti, qui seueriore vitæ norma animos a sensibus abstrahunt, minimumque vt habeant cum corpore commercium studio omni contendunt; id etiam dæmon æmulari volens, palam præcipiebat, ne quis propius ad sacra accederet & ministerium religionis, nisi castus: cum aliud interim in occulto suaderet, vt paulo post ostendam.

Id perquam euidenter patet ex iure pontificio veterum. Quiritium, cuius inuentor fuit Numma Pompilius, regum religiosissimus, hoc est, superstitiosissimus, & dæmonum cultui addictissimus, vtpote quem Pythagoreorum disciplinis imbutum fuisse proditum est. Cum enim eo iure sancitum esset, oportere Vestæ sacerdotes quo tempore eo officio fungerentur esse intactas; si qua earum postea legi horrendæ fraudem fecisset, capitale erat, & impudicitia comperta viua terræ infodiebatur. Quod cum dæmonum instinctu ius positum fuisset, ingens hic admiratio subeat animos necesse est, contemplantium teterimi lemuris nequitiam & crudelitatem, qui quem palam sub mortis pœna a suis antistitibus exigeret pudorem, iis in occulto extorquere tentaret. Quod tamen illis ipsis, quibus vitium offerre voluisset, prodentibus innotuit: huiusque extat exemplum apud Apollodorum lib. 3. Bibliothecæ, siue $\omega\sigma\iota\ \theta\epsilon\omega\upsilon\ \nu$ in Cassandra Priami filia; Verba adscribam: $\mu\epsilon\tau\grave{\alpha}\ \tau\epsilon\tau\omicron\upsilon\ \epsilon\gamma\acute{\epsilon}\nu\eta\eta\sigma\epsilon\ \epsilon\kappa\alpha\prime\theta\eta\ \theta\upsilon\gamma\alpha\tau\acute{\epsilon}\rho\alpha\varsigma\ \mu\acute{\epsilon}\nu\ \kappa\rho\acute{\epsilon}\iota\sigma\alpha\upsilon,\ \lambda\alpha\omicron\delta\acute{\iota}\kappa\eta\upsilon,\ \rho\omicron\lambda\upsilon\zeta\acute{\epsilon}\iota\eta\eta\upsilon,$

Κασάνδραν. ἢ συνελθεῖν βελόμυθον Ἀπόλλων
 τὴν μαντικὴν παρέχετο διδάξεν. ἢ δὲ μαθήσασα ἔ-
 συνῆλθεν. ὅθεν Ἀπόλλων ἀφείλετο τῆς μαντικῆς
 αὐτῆς τὸ πείθειν. *Post hunc (Paridem) filias pepe-
 rit Hecuba Creusam, Laodiceam, Polyxenam, Cas-
 sandram. Cui cum Apollo misceri vellet, diuinan-
 di artem se illi traditurum promisit. Hac autem
 postquam didicit, noluit corporis sui copiam Apol-
 lini facere. Quamobrem hic Cassandra vaticinia
 ut fide carerent effecit. Idem Seruius testatur ad
 hos Poetae versus 2. Æneidos:*

Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris
 Ora Dei iussu, non vnquam credita Teucris.
*Præcepto Apollinis, inquit, qui spe promissi coitus
 concessa diuinatione frustratus sustulit fidem vera
 dicenti. Eodem modo a lemure perfido attenta-
 tam Ouidius narrat Sibyllam: quam sic in 14.
 Metamorph. Æneæ diuinos illi honores polli-
 centi loquentem inducit:*

*Nec Dea sum, dixit, nec sacri turis honore
 Humanum dignare caput: ne nescius erres,
 Lux aeterna mihi carituraque sine datur,
 Si mea virginitas Phæbo patuisset amanti.
 Dum tamen hanc sperat, dum præcorrumpere
 donis*

*Me cupit; elige, ait, virgo Cumæa, quid optes,
 Optatis potiere tuis: ego pulueris haustu
 Ostendens cumulum, quot haberet corpora puluis,
 Tot mihi natales contingere vana rogavi.*

*Excidit ut peterem iuuenes quoque protinus
 annos. Hos*

*Hos tamen ille mihi dabat, æternamque iuven-
tam,*

*Si Venerem paterer. Contempto munere Phæbi
Innuba permaneo.*

Ita impostor dæmon commendanda, vt dixi, palam & præcipienda vatibus & antistitibus corporis castitate diuinitatis opinionem gentibus facere studebat; interim ne ea laus suis illis ministris constaret, variis artibus & pollicitationibus perficiebat. Aliis vaticinium offerebat si sibi morem gerere vellent, vt Cassandra & Sibyllæ aliisque vatibus: aliis medendi artem, vt Oenone Nymphæ: aliis iaculandi aut sagittandi peritiam, vt Cyparisso: aliis rei rusticæ diligentiam, vt Aristæo: aliis alia munera: verum, vt Græcis dicitur, δῶρα ἄδωρα, quæ accipientibus in exitium verterent. Neque enim dirus hostis quicquam dat hominibus nisi sæua mercede. Maleficii genus magis illi vsitatum istis temporibus, quopiam corpore assumpto, subque eo latentem mulieres & pueros violare. Ita Justinus Martyr in Apologia 2. ἐπεὶ τὸ παλασὸν (inquit) δαίμονες Φαῦλοι Ἰπιφανείας ποιησάμενοι, καὶ γυναῖκας ἐμοὶ χόσσαν, καὶ παῖδας διέφθειραν, καὶ Φόβηθρα ἀνδρώποισ ἐδείξαν, ὡς καταπλαγῆναι τὸς οἱ λόγῳ τὰς γνομένας πρᾶξεις σὸν ἔκρινον.

Sæpius vero mortuorum recentia cadauera induebat, fraude antiqua admodum, & nunc etiam vsitata illi apud Græcos, habitantes in maris mediterranei insulis: quo pacto excitatos mor-

mortuos trito apud eas gentes nomine *Ερεκνο-
λάνας* vocant, vt memini me legere in Actis
missionum Societatis Jesu. Quippe ita norunt
sanguinem & spiritus mouere atque diffundere
per omnes corporis extincti partes, vt nihil a vi-
uente, quod ad speciem exteriorē attinet, differat.
Hoc igitur fucō nequissimos genios multis olim
cum feminis tum adolescentibus illufisse certum
est, modo Apollinis specie, modo Neptuni, modo
Bacchi, aut Sileni, & aliorum Deorum. Quam
fortasse in partem accipiendum illud Maronis in
sexta ecloga de Sileno & pueris vincula dormien-
ti iniicientibus:

*Aggressi: nam sepe senex spe carminis ambos
Luserat.*

Ibi enim *ludere* non est fallere; sed quod cor-
ruptores pueris solent. Hinc *θεῶν παῖδες*, *Deo-
rum pueri*. Ita enim vocabant qui certis numi-
nibus *ἐν παιδικοῖς*, hoc est, in deliciis esse dice-
bantur, vt Ioui Ganymes, de Apollini Phorbas,
Hyacinthus, Cyparissus, Admetus, Hippolytus Si-
cyonius; qui quoties Sicyone Cirrham petens
mare traiceret, non sibi Apollo, vt ferunt, tempe-
rare poterat, quin conceptam de proximo ama-
fii aduentu voluptatem Pythiæ ore exprimeret,
versum proferens eum, quem Plutarchus affert
in Numa:

*(Εαίνε.
καὶ δ' αὖθ' Ἰππολύτῳ φίλον κάρτα εἰς ἅλα*
Talis & apud Phryges Atys, apud Bithynos He-
rodotus, apud Arcades Endymion memoratur.

Qui-

Quibus in altero sexu perinde videre est feminas ab iisdem lemuribus partim infidiis tentatas, vt modo de Sibylla & Cassandra dictum est, partim corruptas, vt de aliis innumeris proditum. Hinc a sanguine Deorum ducta nobilitas, & heroes mixtum genus e diuino & humano. Quæ cum gentium sapientes in sacris libris suis perscripta legerent, aut fama ab vltima hominum memoria ad se transmissa audirent, vt par erat obstupescabant. Neque enim talia audebant negare, quæ & religionum antiquitate & tanto hominum consensu firmata essent & consecrata: neque tamen in animum inducere poterant, vt talia in Deum competere opera crederent. Quod igitur scilicet restabat, id sequebantur, vt dicerent, non esse hæc ad literam accipienda. Ita Deorum cum pueris & mulieribus formosis concubitus commodis, quoad eius fieri poterat, interpretamentis mollicebant; vt Plutarchus citato loco fabulam Hyacinthi ab Apolline adamati ad animum transfert, quem Apollo in eo puero amaret, eo quod egregia animi indole & pietate esset. Qua de re insignis hic apud eum in vita Numæ locus extat, dignus quem adscribam ob doctrinam quam continet: *καίπερ λόγῳ ἔχθ' τὸν θεὸν ἔ Φίλιππον, ἔδὲ Φίλορην, ἀλλὰ Φιλάνδρωπον ὄντα, τοῖς διαφερόντως ἀγαθοῖς ἐθέλειν συνεῖναι, καὶ μὴ δυσχεραίνειν, μηδὲ ἀπμαΐζειν ἀνδρὸς θεῖος καὶ σώφρον' ὀμιλίαν. ὡς δὲ καὶ σώματι ἄνδρωπίνε, καὶ ὄρασε, ἔστ' ἴς θεῶ καὶ δαίμονι*

μὴν κοινῶν καὶ χάρεισ ἕγγυον ἦδὴ καὶ τὸ πει-
 θῆναι. *Ac rationi quidem consentaneum est, Deum*
non studio equorum aut auium, sed hominum te-
neri, proinde cum iis qui valde boni sunt, & vir-
tute excellunt, libenter versari, neque diuini &
temperantis viri consuetudinem aspernari: quod
autem aliqua illi cum corpore humano & flore
ætatis communio omnino aut gratia existat, diffi-
cile est verbis persuadere. Sane hæc vera & phi-
 losopho digna. Ita & Seruius Grammaticus de
 Apollinis amore in Sibyllam iudicat ad hæc ver-
 ba libri 5. *Æneidos longæua Sacerdos: Sibyllam*
Apollo pio amore dilexit. Exinde Ægyptios sacer-
 dotes castigat Plutarchus, qui existimabant, nihil
 esse absurdi, quiddam a Deo imprimi in corpore
 muliebri, quod esset principium conceptus &
 procreationis; tametsi negarent vice versa De-
 am pati quicquam eiusmodi posse a viro. Et
 hoc bene, si ordo naturæ spectetur: non autem,
 si quod diuina vis supra naturam in Christi ortu
 effecit consideremus; cuius mysterium non
 profus latuisse præcos gentis illius sapientes ex
 his colligi potest, sed ad eos peruenisse oracu-
 lum istud ex commercio Hebræorum: *Ecce vir-*
go concipiet &c. Sed Plutarcho & aliis philoso-
 phis licuit hæc recondita ignorare: quod ratio
 ostendebat id amplexi sunt, simulque ignari ar-
 tium dæmonis, nihil iis amoribus putarunt si-
 gnificari nisi Deorum propensionem in bonos
 viros, quos singulari providentia ob pietatem
 complectebantur.

Ita

Ita viri illi docti impuris geniis patrocina-
 bantur, & eorum extremas in naturam humanam
 contumelias plausibili rationum commento ve-
 labant. Sed tamen nihilominus sic vulgo per-
 suasum erat, accedere interdum ad mulieres De-
 os, iisque reuera complexu venereo misceri, vt
 mariti hac causa vxores suas majori in honore
 haberent, nedum ægre ferrent: vt de Philippo
 Macedone idem tradit Plutarchus in Alexandro.
 Quapropter neque mulieres ipsæ aut deuotæ fa-
 cris puellæ & religiosæ, si quid sibi eiusmodi
 accidisset, admodum dissimulabant, aut ignomi-
 niam metuebant, quibus potius veneratio ex tali
 consuetudine apud populos accederet. Testis
 Olympias Alexandri mater, & illa mulier Ponti-
 ca, cuius mentionem facit Plutarchus in Lyfan-
 dro, quæ se Apollinis compressu grauidam iacta-
 bat. Quæ adeo fidem inuenit, vt editum in lu-
 cæm puerum principes viri publico sumptu &
 exacta cura educandum censerent; & Lyfan-
 der Lacedæmonius callidi incepti, quo regiam in
 se potestatem transferre cogitabat, aliud funda-
 mentum non poneret. De quo vide Plutarchum
 in eius vita. Quin in laudibus magnorum vi-
 rorum ponebant, si quis hoc modo genitus fu-
 isset, vt de Homero decantatum, de Romulo, de
 Platone item philosophorum principe. Quem-
 admodum notat beatus Hieronymus in eodem
 lib. I. contra Iouinianum: *Speusippus quoque (in-
 quit) sororis Platonis filius, & Clearchus in laude
 Plato-*

Platonis, & Anaxilides in secundo libro Philosophiæ, Perictionem matrem Platonis phantasmate Apollinis oppressam ferunt; & sapientiæ principem non aliter arbitrantur nisi de partu virginis editum. Tum paucis interiectis addit de Christo, non satis (pace viri tam sancti dixerim) caute neque reuerenter, dum originem eius plane venerabilem & augustam cum propudioso Urbis fundatoris ortu componit. *Ac ne nobis (inquit) Dominum Saluatorem de Virgine procreatum Romana exprobraret potentia, auctores urbis & gentis suæ Ilia virgine & Marte genitos arbitrantur.*

Hæc occasione oblata visum est paulo liberius persequi de Sibyllæ, & aliarum vatum, sacrarumque Diis ethnicis feminarum castimonia; vt intelligatur, quas Christo Seruatori gratias debeamus, qui nos ab his prauorum dæmonum ludibriis & sæua tyrannide, meliori luce animis nostris infusa, liberauit.

CAPVT XVII.

De virginum furore obiter Hippocratis & Aristotelis loca explicantur.

ATque hæc quanquam satis accurate, nisi fallor, pertractata atque explanata de virginum vaticinantium apud antiquos religione videri
pos-

possunt, præuideo tamen fore multos qui his contenti non sint; qui scilicet nihil satis tractatum putant, nisi rationes e naturæ penetralibus proferri videant: ceu de omnibus quæ obseruantur hominum proprietatibus naturales causæ afferri possint. Sed tamen ne quid quisquam in nostra hacce contemplatione desideret, age istud expediamus, num quæ naturalis etiam causa huius propositi in Sibylla & aliis fatidicis conseruandæ virginitatis probabiliter in hanc considerationem adduci possit.

Mihi igitur attentius contemplanti quid virgines patiantur, occurrit furor siue insania nonnullis familiaris ex veneris abstinentia; quæ quemadmodum virginibus mentem perturbet medicinæ parens docet in libello *περὶ παρθενίων*, hoc est, *de virginum morbis*, his verbis: *τηνικαὐτὰ ὄκ' ἔχον τὸ αἷμα ἔκρεν, ἀναίσιος ἵπὸ πλῆθε ἔς τὴν καρδίαν καὶ ἔς τὴν διάφραξιν. ὀκόταν ἐν ταύτῃ πληρωθῶσιν, ἐμωρώθη ἡ καρδίη· εἶτα ὄκ' τῆς μωρώσεως, ναρκη· εἶτ' ὄκ' τῆς νάρκης πρῶτα ἔλαβεν.* *Tunc sanguis non habens effluxum, præmultitudine resiliit ad cor & ad septum transuersum. Quum igitur hæc repleta fuerint, cor fatuum fit, deinde ex fatuitate torpedit, postea ex torpore delirium.* Quibus verbis ostendit, furorem accidere virginibus ex mensium suppressione, quum scilicet his per veneris abstinentiam venæ in vterum tendentes obstruuntur: quod sane locorum situs efficit, cum non exercentur,

velut inarata arua squalore contracto densantur. Quo fit vt sanguis prohibito exitu per inferiora sursum refluat ad septum transversum & cor, quod sanguinis confluxu & redundantia *μωρῶν* fieri dicit; hoc est, fatuum; vtpote quod tanquam sui oblitum munus suum amplius tueri non possit. Huius autem munus præcipuum, spiritus vitales per vniuersum corpus mittere ad sensum & mentis functiones ciendas. Hinc *νάρκη, torpor*: ex torpore alienatio mentis & furor.

Hæc paucis ego & summatim, quæ pluribus Hippocrates. Ratio autem insaniam huius iis paucis, quæ dixi, perspicua & sufficiens proposito nostro. Apparet enim ex his, quemadmodum virgines mensium suppressione & inde orto mentis torpore, ecstasim patiantur: quam proximam esse ad vaticinandum præparationem, dictum est; adempto enim sensuum exteriorum usu, magis interiores vigent & dominantur: hinc species inusitata, & dæmonum spectra obuersantia, ex libero & infreni phantasiam motu, totam pene animam intensiorem ad se conuertentis. Quibus visis nonnullas etiam timore nimio & desperatione ad suspendium adactas ibidem Hippocrates testatur. Neque aliunde ortum putem, quod Milesiis virginibus accidisse refert Gellius in Noctibus Atticis ex Plutarcho, qui id memoriæ prodiderat in primo librorum *ἠθῶν ψυχῆς*, omnibus ferme quot tunc in ea ciuitate erant, sine vlla euidenti causa, voluntarie laqueo

vitam finientibus. Verisimile est enim, eius insaniam causam fuisse tetros & malignos vapores, ex suppressione mensium ad mentis arcem subeuntes, ac visis horrendis animum perturbantes.

Huius mali symptomata hæc traduntur ab Hippocrate: furor, quem *μανίαν* vocat; vociferatio; metus; mortis suspensio consciscendæ cupido; tum animi tædium & anxietas malum cogitantis. Quorum unamquodque propriæ causæ accommodat hunc in modum: *ἐχόντων δὲ τριτέων ὡδὲ, ὑπὸ μὲν τῆς ὀξυφλεγμασίης κραινέται· ὑπὸ δὲ τῆς σηπεδόνου φωνέει· ὑπὸ δὲ τῆς ζοφερῆς φοβέεται καὶ δέδοικεν· ὑπὸ δὲ τῆς ὡθι τὴν καρδίην πιέζει, ἀγχόνας κραινισσὸν· ὑπὸ δὲ τῆς κακίης τῆς αἵματι, ἀλύων καὶ ἀδημονέων ὁ θυμὸς κακὸν ἐφέλκεται.* Vbi amplum aperit campum philosophantibus circa unamquamque eorum symptomatum causam; quomodo scilicet caloris vis acrior furorem proprie excitet, putredo clamorem efficiat, vaporum obscuritas & caligo metum afferat, oppressio autem & angustia cordis suspensio & strangulationis visa animo objiciat, sanguinis denique labes & malignitas anxietatem & corporis iactationem inducat. Sed hæc pluribus verbis disse-
renda aliud tempus opportunius postulant.

Nunc autem nobis ex his, quæ ibi recenset, symptomatis, quæ mensium in virginibus suppressionem sequantur, illud primo loco positum

sufficit, furor scilicet a calore intensiori & inflammatione circa sedem mentis, vt Aristoteles in problemate illo I. sect. 30. dicit; vt virginitas hac ratione credatur conferre non parum diuinationi, dum ex mensium suppressione innuptis familiari mentem dicto modo perturbari contingit. Quod alio etiam argumento intelligi potest; barbæ scilicet, quam præter sexus legem puellis intactis atque etiam fatidicis erupisse aliquando obseruatum est: vt olim religiosis feminis in Caria, teste Aristotele libro tertio Historiarum: γυνή δὲ ταῖς Ἰπὶ τῷ γενεῖω ἔ Φύδ τρέχας, πλὴν ὀλίγαι ἐνίαις γίγνονται, ὅταν κατὰ μήνα ἤ, καὶ οἶον ἐν Καρία ταῖς ἱερείαις: ὁδοκαὶ συμβαίνειν σημεῖον τῶν μελλόντων. id est, *Pilos in mento mulieris non nascuntur, nisi interdum pauci, cum menstrui cursus substiterunt: ac vt in Caria antistitis euenire aiunt, quod diuinationis indicium interpretantur.* Scaliger in commentario ad hunc locum: *Et in Caria antistitas pilos in mento habere (dixit,) quod signum fuerit religionis & diuinatricis mentis: sed nostræ sacerdotes barbatae sunt ob castitatem.* Sed fortasse rector sit interpretatio, si dicamus, iis antistitis, quoties aliquid impenderet aduersi, quod prædicere deberent, & menses suppressi solitos, & pilos affatim nasci in mento; appetentis diuinationis præludia. Quo sane & prouerbum illud Rhodiginis frequentatum spectare videtur: *feminam barbitio obseptam eminus esse salutandam;* de quo ada-

adagio vide Cælium eius ciuitatis lumen lib. 14. Antiquarum Lectionum cap. 21. Atque ex his omnibus non absurde aliquis suspicetur, barbatam fuisse Sibyllam; tametsi nusquam ab aliquo obseruatum memini. Sed hæc animi gratia.

CAPVT XIIX.

Sibyllæ viuacitas perperam a Luciano omissa in libro de longæuis.

Cur tam diu vixerit

Sibylla.

Vulgatum id quoque de Sibylla & multorum monumentis proditum; inter alia naturæ eius insignia, de quibus supra, hoc quoque affuisse, vt quam diutissime & pene vltra limites humani æui vitam prorogaret: nam & Aristoteles, vt iam animaduersum, in eo libro quem scripsit de iis, quæ auditu mirabilia sunt, hanc πολυχρονιω-
Γῆτην vocat. Quod miror fugisse diligentiam Luciani, in libro qui inscriptus est *Μακρόβιοι*, cum tam multos in eo catalogo longæuos referat, minus claros quam fuit Sibylla, quæ primum in omni vaticinantium multitudine apud ethnicos locum dignitatis tenuit, cuiusque viuacitas adeo prætergressa est vsitatos æui humani fines, vt in prouerbum abierit Sibyllæ senectus; Brodæo teste lib. 1. Variar. Lection. cap. 34. & Sibyllæ anni apud Papinium in Siluis

Euboici transcendere pulueris annos.